




Disputatio juridica inauguralis de compensationibus

<https://hdl.handle.net/1874/340677>




Miscellanea Doctrina


Quarto ~~N.~~ n°. ~~192~~ 192.

A. qu.
192

1. Brebis, D. aux. De compensationibus.
2. Doorn, L. van. De obligationibus.
3. Rhemer, G. van. De contrahenda emtione.
4. Pryckegem, A. van. De epilepsia.
5. Tosell, J. ab. De fiduciisfariis.
6. Forrester, J. De calamo.
7. Gaets, P. De emtione et venditione.
8. Leeuw, A. de. De coniunctione.
9. Nobel, G. De ius vocando
10. Pretter, H. De pica.
11. Branderler, J. van den. De mandato.
12. Kien, Ph. De arbitris compromissariis.
13. Kien, J. De iudicis et foro competenti.
14. Bree, W. van. De appellationibus.
15. Baute, D. De donationibus inter virum et uxorem.
16. Ritze, Ph. Disp. illustres juris quaestiones aliquot continens.
17. Schagen, C. van. De Haemoptoe.
18. Munger, J. De mola.
19. Laerman, H. De patria protestate.
20. Nijsen, J. van. De protestate dominica.
21. Hertleif, Ch. B. De usuris.
22. Lover, Pi. de. Positiones ex universa medicina desumptae.
23. Verhaever, S. f^r, A. De nuptiis.
24. Cabeliou, J. De emptionis et venditionis contractu.
25. Cabeliou, Z. De usucapione.

26. Palude, Gul. ex. De obligationibus realibus.
27. Amelot, J. C. Kloos van. De subtilis.
28. Minkel, N. De jure naturali.
29. Schutz, B. De usurpis et mora.
30. Becker, D. De rebus creditis et foenore.
31. Blondel, A. De commodato.
32. Veene, Th. van der. De fractis.
33. Scotte, Ab. De nuptiis.
34. Winkelmann, W. De damno iuxuria dato.
35. Croccanus, A. De diarrhaea.
36. Six, J. De emphitensi.
37. Westhovenen, Fr. à. De nuptiis.
38. Storch, H. A. De alimentis, medicamentis et venenis.
39. Schurman, J. De asthmate.
40. Borch, G. ter. De acquirendo dominio ex jure gentium.
41. Ommesen, J. ab. De servitutibus praedionum rusticorum.
42. Ommesen, Fr. ab. De mandato.
43. Vinck, C. De usufructu.
44. Oosterland, J. De judicis.
45. Germen, A. à. De haereditatis pretione.





1192

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
COMPENSATIONIBUS,

QUAM
DUCE ET AUSPICE S.S. TRIADE.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque in Inclyta Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Alma ac
Nobilissime Facultatis FURIDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,*

Summisque in UTROQUE JURE honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis.

Eruditorum Examini subicit


DANIEL AUX-BREBIS, AMSTEL. BAT.

Ad diem 21. Marii, horâ locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM;

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc LXXXVII.



V I R I S *Prudentissimis*
Celeberrimis

D. ABRAHAMO CROOK,

U T E T

D. ISAACO MINUIT,
Mercatoribus apud Amstelodamenses solertissimis justissimis Cognatis amantissimis, tutoribus suis fidelissimis eoque nomine omni honore prosequendis.

*Hanc disputationem inauguralem eā quā
par est animi observantiā consecrat*

DANIEL AUX-BREBIS

AUCTOR.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
P. E.
COMPENSATIONIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione nominis & rei.

§. I.



Ompensatio ita dicta ab antiqua *æris pensatione*, quia *æs alienum* cum eo quod utrumque debetur, per imaginariam quasi solutionem pensitetur, & quo ad concurrentem quantitatem minuatur *I. 4. C. b. t. l. 58. §. 3. infin. ff. ad S. C. Trebell. l. 34. §. 5. ff. de leg.* Dicitur igitur compensatio quod singuli compensent, sive una invicem pensent, & quasi in una lance appendant ut *æqua præstatio fiat*, & quantum præstetur tantum repandatur.

§. 2. Vox ipsa variis modis sumitur. 1. Latissimè accipitur pro quacunque adæquatione rerum, quæ aliquam pariationem habent, quo sensu Imperator in societate lucrum & damnum compensari ait. §. 2. *inst. de Soc.* Vel 2. Latè pro deductione ad-

æqua-

A 2

4 DISPUTATIO JURIDICA

æquatione & retentione unius pro alio etiam temporali : quem admodum vulgo compensari dicuntur, quæ non sunt res compensabiles l. 39. ff. de pig. act. l. 6. C. de R. V. l. 38. ff. de jur. dor. l. 39. §. 14. ff. de adm. tut. l. 85. ff. de leg. z. l. 96. §. 3. in fin. ff. de solut. 3. Stricte sumitur pro retentione quæ vim solutionis habet, eoque in sensu vulgo sumitur ac definitur à Modestino in l. 1. ff. b. t.

§. 3. *Compensatio est debiti & crediti inter se contributio.* Id est ut Boeckelman explicat per æris sui computationem ab ære alieno liberatio. Fundamentum habet compensatio in æquitate naturali & in ratione civili, in equitate naturali propter has regulas. 1. Quod interest nostra potius non solvere quam solutum repetere l. 3. ff. b. t. 2. Quod dolo malo facit qui petit id quod restituere debet l. 173. §. ult. ff. de R. J. Ratio civilis est, ut diminuantur lites ne per plura fiat, quod per pauciora fieri potest. Ut breviter & ordine hanc materiam tractemus, videndum. 1. Quibus jus compensandi deitur & adversus quos. 2. In quibus debitibus locum habeat. 3. Quæ sint requisita compensationis. 4. Qui sunt ejusdem effectus.

C A P U T II.

Quibus jus compensandi competit.

§. 1. **J**us compensandi igitur concessum est omnibus quibus quid debetur, si illi vicissim creditoribus suis quid debeat. l. 2. ff. b. t. l. ult. C. b. t. Nec refert cujuscunque conditionis vel etatis hi mutuo debitores fuerint. Sic pupillus recte compensat, & pupillo compensatur, etiam ab ipso tutorе l. 1. §. 4. & seq. ff. de Cont. tut. act. l. 3. C. de cont. jud. tut. l. II. C. b. t. Nec tutela divisa compensationem impedit l. 36. ff. de adm. tut. Filius potest debitum paternum compensare, ea autem conditione, ut caveat patrem suum ratum habiturum l. 9. §. 1. ff. b. t. ratio est in l. II. C. de impub. & aliis sub. Audiendus etiam est fidejussor, qui quum ex substantia debitoris satisfacere & solvere possit Aut. si captivus, subjecta l. 49. C. de Episcop. & Cleric juncta l. 8. §. 7. circa fin. ff. Mandat, compensare minimè prohibetur quod.

I N A U G U R A L I S.

quod ipsi reo debetur per l. 4. & 5. ff. de Comp. & cum pro debitore principali solvit, compensare eam quantitatem potest, quæ vicissim à creditore debitori debetur per d. l. 4. b. t. Omnes enim exceptiones & defensiones quæ reo competunt, siquidem in rem scriptæ, nec merè personales sint, etiam fidejussori profund & objici possunt l. 7. l. 19. ff. de Except. l. 11. C. b. t. l. 32. ff. de fidejuss. Qualis etiam est compensatio arg. l. 1. ff. b. t. quæ simul atque objecta est, ita obligationem minuit, ac si ipse reus debiti partem intulisset.

§. 2. Pari ratione etiam compensatio à debitore opponi potest ejus debiti quod vicissim creditor alteri cedenti suo debebat. Quod enim alii debetur compensari potest, si debitum illud à creditore fuerit cessum. Ratio est tum quod cessionarius una persona cum cedente censemur & in ejus jura succedat, tum quod cessio transeat cum suo onere, & cedens non potest in præjudicium debitoris totum debitum transferre quod revera non habet arg. l. 54. ff. de R. J. Adde quod compensatio non personæ sed rei cohæreat l. 4. & 5. ff. b. t. juncta l. 7. ff. de fidejuss. Item quod absurdum esset si cedens per cessionem debitori possit adimere compensationem cum factum cuique suum non alteri nocere debeat, & alteri per alterum iniqua conditio inferri non possit l. 24. & 155. de R. J.

§. 3. Procurator in rem suam quoque æquitate compensacionis utetur, & ante & post item contestatam, utroque enim causa est loco domini l. 18. ff. b. t. arg. l. 1. 6. & 7. Cod. de oblig. & aet. l. 25. in fin. ff. de Procurat. l. 3. C. de Nov. l. 55 ff. de procurat. Qui vero in rem alienam est constitutus, suo nomine non compensat, nec patietur compensationem l. 9. C. b. t. l. 25. ff. b. t. Dico suo nomine quia si procuratorio nomine conveniatur ex persona domini rectè compensare potest l. 21. ff. b. t.

§. 4. Tractanda hic venit quæstio. An recte compenset is qui solvere Juravit? Illorum probamus sententiam, qui dicunt debitorem compensando à perjurio liberari arg. l. 4. C. b. t. l. 4. ff. b. t. l. 2. ff. b. t. l. 4. §. 7. de Re. Jud. juncta l. 10. ff. b. t. l. 2. C. b. t. l. 76. ff. de V. S. Et ratio ipsa æquitatis suadet, quia nostra inter est potius non solvere quam solutum repetere, & dolo facit qui

6 DISPUTATIO JURIDICA

petit quod restituturus est l. 8. ff. de Exempt. dol. l. 3. ff. b. t. l. 4. ff.
qui pot. in pig. Bart. in l. 15. ff. Rat. rem hab. Fasch. Contrav. 7. Ad-
di potest juramentum iniquitati favere non debere, neque solere
sed æquitati, unde hanc recipere debet interpretationem, quæ
ex ipsa lege & æquitate deducitur, ut scilicet is, qui juravit se
soluturum compensare possit, & compensationem implorando
creditem suum eundemque debitorem repellere. Si autem de
reali traditione juratum sit non satisfiet juramento per com-
pensationem quæ est destinata à reali traditione pecunia.

§. 5. Civitatibus & Fisco compensationem objici satis clarum
est per l. 7. & 13. C. b. t. l. 24. ff. b. t. l. 46. §. 5. ff. de jur. Fisci
si quidam casus excipiatur. 1. si Fico debeatur ex Kalendario
seu codice rationum d. l. 3. C. b. t. id est si quis pecuniam mu-
tuam fanori à Fisco acceperit Kalendarium enim est Codex
seu liber in quo patresfamilias solebant scribere nomina debito-
rum inde dictum quod singulis Kalendis usurae exigi solebant 2.
si quis propter publicas pensiones vectigalia aut tributa auto-
ritate publica indicta conveniatur: eo quod reipublicæ intersit
paratam tributorum fieri executionem, nec à privato impediri
aut retardari l. 3. C. b. t. & l. 46. §. 5. ff. de jur. Fisci. l. 3. ff. de cens.
l. 42. ff. de paet. l. 32. ff. de usuf. leg. l. 13. §. 6. ff. de att. emp. 3.
Excipitur id quod ex causa annonaria Fisco competit d. l. 46. §. 3.
de jur. Fisci. 4. Cessat compensatio in alimentis publicè præstan-
dis, ut in Xenodochiis aliisque locis miserabilibus d. l. 3. C. b. t.
5. Etiam in illa pecunia quæ statutis sumptibus inservit, forte
ad refactionem viarum vel solutionem stipendiiorum destinata l.
3. C. b. t. 6. Neque potest debitor fideicommissi civitatis compen-
sare d. l. 3. C. b. t. 7. Si quis à Fisco emat rem fiscalem, & pre-
mium cum alio debito velit compensare l. 7. C. b. t. 8. Non po-
test Fisco objici compensatio si debitum non sit ex eadem sta-
tione l. 1. C. b. t. quod ut intelligatur notandum Stationes esse lo-
ca five mansiones in quibus officia Fiscalia, five officiales Fisci
consistunt l. 1. Cod. ne Fiscus rem quam vendidit evincat. quod ergo
una statio mihi debet id altera statione agente compensare non
possim, ratio est ne fiat diversorum officiorum confusio d. l. 1.
Cod. Exemplo rem illustrat Gothofredus verbi gratia. Offi-
cialis

cialis Fisci qui Alexandriæ præpositus est debitum fiscale petit; reus seu debitor sibi tantundem à Fisco Antiochiaæ deberi contendit, cum hæc alia statio sit jure compensationis gaudere non potest.

C A P U T III.

In quibus debitibus Locum habeat.

§. 1. **T**RANSIMUS ad secundam partem quæ est de objecto compensationis, seu de debitibus quæ in compensationem veniunt. Constat omnia debita posse compensari, tam ex contractu quam ex delicto orta. Quod ad contractum nihil refert, an ex vero contractu an ex quasi contractu *l. 5. & 8. C. b. t.* Olim compensationi tantum locus erat in bonæ fidei judiciis: in stricti juris vero judiciis, nequidem per exceptionem compensatio induci poterat, sed propria actione sibi vicissim debitum petere quis debebat, quamvis apud eundem judicem res decepta-
retur *l. 11. §. 1. ff. de jurisd. l. 22. ff. De jud.* quod postea rescripto D. Marti mutatum est *§. 30. inst. de act.* objicendo doli mali ex-
ceptione. Postmodum à prudentibus receptum, ut ipso jure in omnibus actionibus compensatio fieret *l. 4. 11. 21. & 22. ff. b. t.* Excipitur tamen actio depositi. *l. ult. C. b. t. l. penult. ff. de pos.* *§. 30. inst. de act.* Cujus rationem in fraude aliqui ponunt, quæ posset committi causa differendæ restitutionis depositi: verum cum compensans fateatur debitum, posset videri extra fraudem esse. Vera autem ratio est quod depositum committatur fidei depositarii, tacita hac conditione, ut restituat quandocunque repetenti. *l. 1. §. penult. ff. depositi.* Ut differens reddere repetenti, objecta compensatione, non sit futurus extra perfidiam. Quod verum est non tantum si species deposita fuerit, verum & si quantitas *l. penult. C. Deposit.*

§. 2. Quoniam autem tantum excipitur actio depositi, hinc una atque altera decidi potest quæstio. 1. Quæritur an in repetitione dotis etiam habet locum compensatio? Respondemus affirmativa sententia verior est, nam cum in *d. §. 30. inst. de act.* sola

8 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

sola excipitur actio depositi, hæc exceptio regulam in casibus non exceptis confirmat. Apertè quoque in hanc rem textus extant, nam ita Paulus in *l. 15. §. 1. ff. Solut. Mat.* docet heredi mariti compensationes quæ ad pecuniarium causam respiciunt prodeesse, item Ulpianus in *l. 24. §. 1. ff. eodem.* tradit officio judicis convenire maritus condemnnet habita ratione compensationis, quod javolenus quoque confirmat in *l. 66. §. 1. ff. eodem.* Neque his obstat *l. unica §. 5. de Rei uxori. act.*

§. 3. 2. Quæritur an compensatio locum habeat in commodato? R. etiam hic affirmativa sententia magis placet, nam ita *l. Gajus in l. 18. §. ult. ff. Commod.* respondet commodatarium iure pensationis retinere posse impensas quas in rem commodatam fecit 2. id etiam clare probari potest ex *l. ult. C. b. t.* ex qua de sumptus est *§. 30. inst. de aet.* ubi Imperator constituit ut in omnibus actionibus, sive in rem fuerint sive in personam, sive bonæfidei sive stricti juris compensatio fieri possit, & solam excipit depositi actionem, exceptio enim confirmat regulam in casibus non exceptis. Termini tamen habiles ponendi sunt, ut in actione commodati & cæteris actionibus realibus compensatio possit habere locum, nam tunc id accidit, cum pro re pecunia præstanta est, veluti quando re dolo aut culpa debitoris deteriorie facta ejus æstimatio præstanta est.

§. 4. Præter in delictis obtinet compensatio, quo sensu dolus cum dolo culpa cum culpa dicitur compensari. *l. 10. in. prin. §. 2. ff. b. t. l. 36. ff. de dol. mal. l. 39. ff. de solut. Mat. l. 4. §. 13. ff. de except. dol. mal.* Sed vera est illa regula & propositio cum de dolo utrumque vindicando pecuniariè tractatur *d. l. 10. §. 2. ff. b. t.* Nam in publicis judiciis, ubi non privatorum jus, sed publica vindicta ad coercenda maleficia spectatur, non admittitur compensatio, sed utrumque sontem suæ pænæ manere maxime verum est *l. 2. §. 4. ff. ad leg. Jul. de adult. l. 3. ff. eodem.*

§. 5. Non civilia tantum, sed & naturalia debita possunt compensari *l. 6. ff. b. t.* Debet autem intelligi non quodvis naturale debitum, non quod in totum seu quoad affectus principales destitutur juris civilis auxilio qualis est obligatio mulieris fidei benti filiifamilias mutuam pecuniam accipientis, pupilli promittentis,

I N A U G U R A L I S. 9

tentis, talia enim debita compensationem non admittunt, sed debet intelligi tale debitum naturale quod ex conventione descendens eosdem habet effectus jure civili, quos habet naturale & civile debitum simul, si solam actionem excipias, quale debitum plerumque intelligunt juris conditores cum loquuntur de debito naturali.

§. 6. Porro non tantum cum utrinque naturaliter debetur l. 6. §. 4. ff. de pec. leg. l. 95. §. 4. de solut. l. 58. ff. de Cond. indeb. Sed etiam cum ego alteri civiliter obligatus sum, alter mihi naturaliter d. l. 6. ff. b. t. V. Gr. debo tibi centum ex stipulatione debes ex nudo pacto, possum tibi ex stipulatu agenti objicere compensationem illius debiti quod ex nudo pacto mihi debes. l. 18. ff. b. tit. l. 5. & 6. Cod. cod. Ratio hujus rei manifesta est æquitas enim quantum compensatio suadet, ut licet hujusmodi debitum exigere nequeam, tamen retentione tucri me possim adversus eum, qui à me illud etiam civile debitum petit l. 13. ff. de Cond. indeb. l. 14. ff. de oblig. & act. Neque hoc mirum est actionem denegari, & tamen ex æquitate exceptionem vel retentionem concedi l. 48. ff. de R. V. l. 51. ff. de cond. indeb. juncta l. 4. & 20. ff. b. t.

C A P U T I V.

De Requisitis.

§. 1. **U**T debitum ex quacunque causa proveniens incompen-
sationem deduci seu per debitum aliud solvi compen-
sando possit, multa sunt quæ requiruntur. Est enim de essen-
tia ut debitum sit liquidum: liquidum est quod aperto jure ni-
titur §. 30. inst. de ait. & quod pro certo & indubitate ejusdem
utrimque qualitatis, atque estimationis appetat, nec multis am-
bagibus innodatum, sed quod judici facilem sui præstat exitum
l. ult. C. b. t. Verbi gratia ex confessione adversarii, qua fatetur
se tantundem debitori suo, eidemque creditori ex hac vel illa
causa debere. Aut quando non de facto sed de jure inter de-
bitorem & creditorem disputatur, quod semper certum & ju-
dici apertum intelligitur. Vel etiam si quidem in facto verse-

B

tur

10 DISPUTATIO JURIDICA

tur quod debitor compensando opponit, sed tale sit, quod in continenti probare potest: ut si statim ab initio litis, & in ipsa quasi contestatione debitor paratam probationem offerat quod etiam sibi ab auctore vicissim aliquid debeatur. *l. ult. §. 1. C. h. t.* Quid ergo si causa non sit liquida videtur ex ipsa constitutione justiniani in. *d. l. ult. C. h. t.* ita distinguendum esse, aut reus objectit compensationem initio litis aut sub finem, si sub finem jam penè convictus eam objecerit, tunc non admittitur sed alii iudicio reservatur & lis jam penè expedita terminali sententia componitur, quia inquit *Imperator in d. l. satis miserabile est post multa variaque certamina cum res jam fuerit approbata, tunc ex altera parte, quæ jam penè convicta est, opponi compensationem jam certo & indubitate debito, & moratoriis ambagibus spem condemnationis excludi.* Quid si autem reus conventus initio litis causam etiam non liquidam per modum exceptionis opponat eamque contestetur, ut cum negat se debere & tamen cum de eo dubitat, utitur simul exceptione compensationis dicens, & si deberet tamen vicissim ex illa aut illa causa sibi ab auctore deberi, ac ita litem contestetur, eo casu eum audiendum esse post quam à sua parte jam probavit actor sibi deberi, probabile admodum est, nam Imperator in *d. l. ult.* non absolute rejicit compensationem debiti illiquidi, sed ita demum si post multa certamina illa objiciatur; adde quod cum obtineat in omnibus exceptionibus quæ etiam quocunque tempore probari possunt, nulla autem est ratio quare non idem obtinet in exceptione compensationis, quæ æquitate naturali quoque nititur.

§. 2. Inter Requisita etiam hoc quam maxime requiritur, ut debitum sit purum, hoc est non sub conditione vel die suspensum: alioquin non potest compensari propter alterius partis prejudicium *l. 7. prin ff. h. t.* Ratio peti potest ex *l. 15. Rat. rem hab.* quod petere quoque & exigere is intelligatur qui compensatione utitur, sed id quod in diem debetur peti & exigi non potest ante diem *l. 213. ff. de V. S.* ergo nec compensari, sicut ergo actori ante diem petenti objici potest exceptio plus petitionis *§. 33. inst. de act.* ita etiam reo convento ante tempus compensare volenti

lenti eadem exceptio obstat. Aliud est si solum humanitatis gratia diem adjectum esse probetur: Veluti si is qui sententiam pro se habet intra illud tempus quod datur ad executionem peragendum conveniatur ab adversatio *l. 16. ff. b. t.* tempus enim quod datur judicatis tale est, ut non nisi humanitatis gratia ipsis indulgeatur non autem ut eo minus debitores videri possint, cum plus quam debitores sint qui jam sunt condemnati *l. 40. in pr. ff. de Minor.* Ceterum id quod conventum est certo loco solvi, ubique compensari posse, habita tamen ratione ejus, quod interest dicto loco solvi, satis constat ex *l. 15. ff. b. t.*

§. 3. Non silentio prætereundum est illud requisitum, quod debitum in compensationem deductum non debeat esse alternativum: nam si debeas, verbi gratia, decem millia aut hominem, utrum adversarius volet, ita compensatio hujus debiti admittitur, si adversarius dixisset utrum voluisse *l. 22. ff. b. t.* Ratio manifesta est, cum enim compensatio sit mutua solutio *l. 4. C. b. t.* non potest compensari nisi quod jam solvi potest, atqui in casu proposito antequam creditor elegit debitor scire nequit quid ex duobus solvere possit, ergo priusquam compensatio fieri potest necesse est exspectare electionem conditionis.

§. 4. Sed ante omnia requiritur, ut debitum sit earum rerum, quæ compensationem admittunt. Quales sunt potissimum res quæ ejusdem bonitatis sunt, & in suo genere functionem recipiunt. *l. 4. C. b. t.* Veluti in his quæ pondere mensura & numero constant, ut pecunia numerata, aut talibus creditis quæ pecunia solvi, aut liquide taxari possunt *l. 10. §. 2. ff. b. t. l. 22. ff. b. t.* unde satis constat, nec speciem cum genere, nec speciem cum specie compensari posse *l. 13. §. 2. ff. de pignor. l. 51. ff. de leg. l. 4. 8. & 12. C. b. t. l. 15. ff. de impens. in res dot.* Quoniam corporum aestimatio est admodum inæqualis, ratio quoque peti potest ex natura compensationis, nam compensatio pro solutione habetur nec alia de causa liberat, quam quia pro solutione est *d. l. 4. C. b. t.* Sicut ergo aliud pro alio *invito* creditor solvi non potest *l. 2. §. 1. ff. de Reb. cred.* ita nec compensari hoc autem fierit si species cum specie aut genere compensari posset. Reji-

12 DISPUTATIO JURIDICA

ciuntur etiam diversæ quantitates, ut nimis pro pecore pecunia l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. Sed & queri posset, an genus cum genere compensari possit Verbi gratia si debeam tibi equum ex legato, tu mihi debetas equum ex stipulatu? Quod affirmandum duximus: debetur enim codem modo pecunia invicem l. 4. C. b. t. Nullaque lex neque juris ratio hanc compensationem impedit videtur. Addenda est & hæc quæstio, utrum compensatio locum habeat, ubi quantitas ex una parte debetur, ex altera vero quantitas debetur, quæ se habet ad instar speciei; veluti centum quæ in arca sunt? Quod negamus: habetur enim pro specie, neque permutationem accipiunt tales nummi, & ut certum corpus sunt æstimandi: ergo compensationem locum habere non posse clarum est arg. l. 51. ff. de leg. 1. l. 47. §. 1. de leg. 1. l. 30. §. 4. ff. ad Leg. Fal. l. 37. ff. de Verb. obli. l. 31. §. 1. ff. de reb. cred. l. 37. §. 1. de pecul. unde D. D. etiam concludunt numeros aureos in specie debitos in compensationem deduci non posse, quia aurum in specie hoc est excellentiori & eminentiori modo sumptum, in argento & ærc non constitit, nec debitor aureorum in specie per solutionem currentis monetæ liberetur, ne aliud pro alio solvat.

C A P U T V.

De compensationis effectibus.

§. 1. **E**ffectus primus compensationis in eo consistit potissimum, quod obligationem statim ex eo tempore quo utrimque deberi cepit, ipso jure tollat l. 4. l. 10. l. 21. ff. b. t. l. ult. C. b. t. §. 30. inf. de act. Neque obstat quod in l. pen. ff. b. t. compensatio dicitur objici, nam compensatio objicitur in iudicio non per modum exceptionis sed per modum allegationis, quia iudex divinare non potest utrum aliquid utrimque debeatur nisi hoc allegetur in iudicio.

§. 2. Hinc sequitur secundus effectus quod etiam accessiones obligationis perimantur sic verbi gratia, compensatio facit evita-

ri omnem pœnae commissionem non tantum conventionalis, quia satisfactum est conventioni per debitum mutuum, sed & legalis; & generaliter ubi alias in damno maneret alter: tum quia nihil interest solvat quis an compenset, ut videatur creditor habere quod petit: tum quia in mora esse eatenus quis dici nequeat, quatenus ab altero vicissim sibi debetur, & cui posset imputari quod non solvit, ut videatur ab eo impediri quo minus illi solvat. *Bart. in l. 15. ff. Rat. rem. hab. l. 11. l. 12. ff. b. t. l. 4. l. 5. C. b. t.* Tum etiam quod pignora & fidejussores qui in securitatem ejus tenebantur, ipso jure liberentur, adeoque debitori datur actio pignoratitia ad repetendum pignus ex eo tempore quo creditor ipsi invicem debere incepit. *l. 12. C. b. t. l. 3. ff. h. t.*

§. 3. Tertius effectus est, quod ea quæ solvit debitor postquam compensare potuerit, tanquam indebitum condicere possit *l. 10. §. 1. ff. b. t. l. 5. §. 2. ff. de imp. in res dot. l. 30. ff. de cond. indeb.* ratio est quod compensatio vim solutionis obtinet, & ipso jure sit, uti ante dictum, sed debitum solutum ex debito sit indebitum quia solutione tollitur omnis obligatio *§. 1. inst. quib. modis toll. oblig.* ergo quod compensari potuit si solutum sit, repeti potest per conditionem indebiti tanquam indebitum & bis solutum, adde quod compensatio sit instar exceptionis perpetuæ, qui autem solvit cum tutus esset exceptione perpetua conditionem habet *l. 40. ff. de Condit.*

§. 4. Quartus effectus est quod compensatio habetur pro solutione *l. 4. C. b. t. l. 4. C. qui pot. in pig.* ut qui juravit se solutum salva jurisjurandi religione compensare possit sicut ante dictum.

§. 5. Quintus effectus est quos compensatio impedit executionem nam compensatio in omni litis parte etiam post sententiam opponi potest *l. 2. C. b. t.* & quemadmodum solutio impedit procul dubio executionem ita etiam compensatio.

CAPUT IV.

De differentiis inter compensationem & retentionem.

HAc tenus diximus de compensatione cui quemadmodum a finis est retentio, ita ut saepe apud Jurisconsultos confundatur operæ pretium erit ostendere in quibus haec duæ res differant.

1. Compensatio habetur pro solutione adeoque tollit ipsum debitum *l. 4. ff. qui pot. in pig. l. 4. C. b. t.* Contra retentio non extinguit debitum, sed hactenus & in eum finem conceditur retentio ut debitum solvatur *l. 26. §. 4. ff. de Cond. indeb. l. 25. in fin. & l. 26. ff. de Procurat.* & simul ac solutio facta est retentio locum non habet *dd. ll.*

2. Si compensatio per errorem facti omissa sit inducit conditionem indebiti *l. 10. §. 1. ff. b. t.* Contra si quis retentionis jus habens, per errorem solvere repetere non potest *l. 51. & 30. ff. de Cond. indeb.*

3. Omnis compensatio est petitio *l. 15. ff. rat. rehab.* & quidem mutua petitio *l. 6. C. b. t.* ideoque nihil potest peti quod non multo magis potest compensari, quamvis tamen à contrario quædam compensari possunt, quæ tamen peti nequeunt, videlicet si quid naturaliter debeatur. *l. 6. ff. b. t.* Tantum autem ab est ut retentio sit petitio, ut etiam multæ causæ sint, ex quibus retentionem quidem non vero petitionem habemus. *l. 51. ff. de Cond. indeb.* exemplum est in *§. 30. inst. de act. in l. unica C. etiam ob Chirograph. deb.* Plura habet *Cujacius l. 18. obs. cap. 10.*

4. Differentia est compensatio sit ipso jure *l. 4. l. 10. l. 21. ff. b. t. l. 4. l. fin. C. b. t.* Contra omnem retentionem non ipso jure fieri, sed per exceptionem ex omnibus istis locis manifestè sit in quibus scriptum est nos retinere rem per exceptionem doli, ut in *l. 14. §. 1. ff. Com. div. l. 27. §. fin. l. 48. ff. de Rei vind. §. 30-33. inst. de rerum div.*

3. Dif-

5. Differentia retentio non procedit sine vera possessione *l. i.*
in princ. ff. de pign. & hypot. l. 25. ff. de Evic. In compensatione au-
tem nullam haberi rationem possessionis vel ex inde constat,
quod fidejussor opponere possit compensationem de eo quod
res principali debetur *l. i. ff. b.t.* imo hoc patet ex natura com-
pensationis quæ est debiti & crediti inter se contributio ut au-
tem debitum & creditum dicatur, non attendimus ad posses-
sionem sed ad causas obligationis.

COROLLARIA.

I.

Ususfructus extraneo cedi non potest.

II.

*Tutor remotus oblatam culpam non fit in-
famis.*

III.

*Periculum rei venditæ ac nondum tradi-
tæ, spectat ad emptorem.*

IV. Que-

I V.

*Quarela inofficiosi testamenti est ipsa pe-
titio hereditatis.*

V.

*In criminalibus non potest regulariter pro-
curator intervenire.*

V I.

*Procurator ad litem debet saltem habere
octodecim annos.*

